FRANCISCUS Episcopus Servus Servorum Dei

ad perpetuam rei memoriam. *In templo Christum* cum nostrae carnis substantia praesentatum coaeternum una et lumen ad revelationem gentium declaratum venerantes, propenso animo occursus Domini nobiscum mysterium ita celebramus, ut, dum Christo Deo imus obviam, benevolentiam in omnes mutuam habentes, compatienti misericordia abundemus et cum ea naturaliter coniuncta humanitate, in quibus fit cum Deo ipso pergrandis nostra assimilatio ~ cfr S. Sophronius, *Oratio* 3.21-23 ~. Quibus caritatis sensibus permoti, Apostolicae Nostrae servitutis munerибus partes interponentes, per quae ubique Ecclesiae concedentur ea quae bono fidelium consulere valent, mentem Nostram ad necessitates Ecclesiae quae est in Aequatoria convertimus, postulationi Venerabilis Fratris Aloisii Gerardi Cabrera Herrera, O.F.M., Archiepiscopi Metropolitae Guayaquilensis, benigne concedentes, qui, Conferentiae Episcoporum Aequatorianae audita sententia, ab Apostolica Sede enixe postulavit, ut, ecclesiasticae circumscriptionis eidem concreditae quibusdam dismembratis territoriis, nova exinde erigeretur dioecesis. Prosperisque in viam Domini progressibus caventes, de Congregationis pro Episcopis consilio, prospero Venerabilis Fratris Andreae Carrascosa Coso, Archiepiscopi titulo Cloronensis et in Aequatoria Nuntii Apostolici, praehabito consilio reque mature perpensa, preces ad Nos admotas animarum saluti valde profuturas censuimus libentesque decrevimus excipiendas. Proinde, Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, ab archidioecesi metropolitana Guayaquilensi territorium civilium municipiorum vulgo *Santa Elena, Salinas et La Libertad* nuncupatorum, in provincia de Santa Elena constitutorum, necnon municipii vulgo dicti *Playas* et locorum vulgo *El Morro, Posorja* et *Progreso* nuncupatorum, in provincia de *Guayas* constitutorum, finibus in praesens circumscriptum distrahi statuimus atque ex ita distracto territorio novam dioecesim erigimus ac constituimus, **Sanctae Helenae** appellandam. Huius novae dioecesis sedem in eadem urbe Sancta Helena decernimus templumque paroeciale ibi exstans, Deo in honorem eiusdem sanctae Helenae dicatum, ad gradum et dignitatem ecclesiae cathedralis evehimus. Novam insuper dioecesim Sanctae Helenae statuimus Metropolitanae Ecclesiae Guayaquilensis suffraganeam eiusque Episcopum metropolitico iuri Archiepiscopi pro tempore eiusdem Ecclesiae Metropolitanae subiectum. Acta et documenta omnia, quae ad novam dioecesim eiusque clericos, fideles et bona temporalia forte pertineant, a Curia Guayaquilensi ad Curiam Sanctae Helenae quam citius transmittantur. Cetera vero quae ad dignam Praesulis sustentationem atque ad Mensam vulgo *Mitra*, ad Seminarii dioecesani erectionem necnon candidatorum ad sacerdotium institutionem, ad Consilii Presbyteralis, Collegii Consultorum et Consilii a Rebus Oeconomicis constitutionem et bonorum administrationem pertinent, secundum normas Codicis Iuris Canonici aliaque ecclesiasticarum legum praescripta temperentur. Simul ac Sanctae Helenae dioecesis erectio ad effectum deducta fuerit, eo ipso censeantur dioecesi illi adscripti sacerdotes, in cuius territorio ecclesiasticum officium detinent; ceteri vero sacerdotes Seminariique tirones dioecesi illi incardinati maneant vel incardinentur, in cuius territorio legitimum habent domicilium. Ad haec omnia perficienda praefatum Nuntium Apostolicum deputamus vel, eo a sede absente, negotiorum Sanctae Sedis in Aequatoria pro eo gerentem, necessarias et opportunas iisdem tribuentes facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad Congregationem pro Episcopis, cum primum fas erit, authenticum exemplar actus peractae executionis remittendi. Hanc, denique, Constitutionem Nostram iugiter ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. Datum Romae, Lateranensi, die secundo mensis Februarii, in Praesentatione Domini, anno bismillesimo vicesimo secundo, Pontificatus Nostri nono.

Petrus Card. Parolin
Secretarius Status

Marcus Card. Ouellet
Praefectus Dicasterii pro Episcopis

Leonardus Sapienza, Prot. Ap.
Franciscus Pesce, Prot. Apost.